Edmund Belfour Esqr.
Sec. Royal College of Surgeons
London for the Library.
from the Author.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ERYSIPELATE ET EJUS CURATIONE.

Oct. 19. 1829.

13

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ERYSIPELATE ET EJUS CURATIONE;

QUAM,

EX AUCTORITATE

CAROLI LENDRICK, M. D.,

REGIS REGINÆQUE COLLEGII MEDICORUM IN HIBERNIA PRÆSIDIS;

ET EJUSDEM COLLEGII SOCIORUM

CONSENSU;

PRO PERMISSIONE PRAXIM MEDICINÆ EXERCENDI;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES COLVAN,

COLLEGII CHIRURG. LOND. NECNON INSTITUT. VACCIN. BRITTAN. SODALIS; NOSOCOMII FEBRIUM ARMACHÆ MEDICUS, ETC.

"*A duplice errore igitur cavere oportet; neque vires Naturæ spernare, neque nimis religiose colere.*"

GREG. CONSP.

Die Septembris Septimo.

DUBLINII:

EXCUDEBAT R. GRAISBERRY.

M.DCCC.XXIX.

VIRO ILLUSTRISSIMO

DOMINO JOHANNI GEORGIO BERESFORD,

PRIMATI ET METROPOLITANO

TOTIUS HIBERNIÆ,

ARMACHÆ ARCHIEPISCOPO,

ETC. ETC. ETC.

HASCE, QUALESCUNQUE, STUDIORUM PRIMITIAS,

VENERATIONIS SUMMÆ

GRATIQUE ANIMI

TESTIMONIUM,

SACRAS ESSE VULT,

JOHANNES COLVAN.

VIRO OPTIMO

ARTHURO IRWIN KELLY, ARMIGERO,

ARMACHÆ PRÆFECTO,

ETC. ETC. ETC.;

NECNON

BENIGNÆ DOMINÆ KELLY

(RELICTÆ NUPERI REVERENDI D. KELLY;)

CÆTERISQUE GUBERNATORIBUS

NOSOCOMII COMITATUS ARMACHANI,

UT SIT MONUMENTUM SENSUS VIVIDI AC PERENNIS,

OFFICIORUM, QUÆ MULTA, ET MAXIMA,

CONTULERUNT, IN SE SUOSQUE,

DISQUISITIONEM HANC MEDICAM

D. D. C. Q.

JOHANNES COLVAN.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ERYSIPELATE.

Corporis nostri, summâ quidem solertiâ efformati, structuram perpendenti, non mirum videbitur, quod morbis tam sæpe vexati sumus ; sed id potius mirum erit, quod, vel horam, vitam salvi degere possumus : et proculdubio, mors inopinatius, morbi frequentius nos obruerent, nisi natura provida alias partes aliis longe magis vitæ necessarias ponens, sic eas ordinasset, ut quæ ad vitam et salutem maxime faciunt, in locis ab externis injuriis remotissimis collocarentur, dum minus necessariæ, situm exteriorem obtinentes, casibus externis magis sint opportunæ. Sed heu ! quod hæ partes a damnis externis quum optime

munitæ, internis æque ac aliæ obnoxiæ sint: omnes, sine discrimine, obsidet inflammatio, a qua sola provenit maxima longe pars malorum quibus vita humana fato inevitabili angitur. Hi autem morbi inflammationem pro causa agnoscentes, nomina, a partibus affectis variis, varia tulere, et quo nobilior et ad vitam magis necessaria pars inflammatione correpta, eo sane sævior est morbus. Erysipelas est inflammatio, late se extendens, splendens, cum calore, dolore, et colore ex rubro flavescente; quæ externa integumenta, vel internas corporis partes membranaceas, occupat. Bene notus erat hic morbus veteribus; causam autem ejus non tam clare illis innnotuisse apparet ab insonte accusata bili, quam pro hujus mali origine illos habuisse ex Galeni verbis patet, "Εἰδ' ἐξ ἅιματος καὶ Ξανθῆς χολῆς θερμοτερων τοῦ δὲοντος μικτὸν ἔιη τὸ ῥεύμα, ἢ ἐξ ἅιματος μὲν, ζέοντος δὲ καὶ λεπτοτατου πὴν σύσασιν, Ερυσίπελας τὸ παθος καλεῖται."* In eadem fuisse sententia plurimos antiquorum alios,† ex eorum scriptis colligere

---

* Method. Meden. ad Glauc. lib. 2. cap. 1. charter. tom. x.

† Paul Æginet. de Re Medica, lib. 4. cap. 17.

fas est. *Mihi* oriri videtur eodem modo ac inflammationes aliæ, et medium esse inflammationis gradum inter phlegmonen et œdema, quorum illa, in majoribus, hoc, in minoribus vasis, locum habet. Si propius ad Phlegmones naturam accedat, dicitur Erysipelas* Phlegmonodes si potius ad œdematis naturam vergat, dicitur Erysipelas œdematosum. Sunt aliæ species Erysipelatis, viz.: gangrenosum et erraticum, quæ non differunt in origine, sed præcipue in duratione et terminatione. Erysipelas confundi potest solo Phlegmone vel Erythemate, (haud raro etiam cum Podagra vel Scarlatina.) A Phlegmone distinguitur tumore molli diffuso, et inæqualiter circumscripto, absque dolore pulsatili; et ab erythemate tumore et vesiculis (a Podagra et Scarlatina progressu morbi.) In Erysipelate, dolor est urens, rubedo late serpens, et interdum spatium magnum corporis occupans. In Nosocomiis

---

Ætius Tetr. 4. Serm. 2. cap. 59.
Actuarius Meth. Meden. lib. 2. cap. 12.
* Galen. Meth. Meden. ad Glauc. lib. 2. cap. 1. charter. tom. x.

Erysipelas aliquando fit contagiosus, sub forma gangrænosa cum febre Typhoide, et maxima lethale est, uti dicetur in altero loco.* Error aliquis in nonnaturalibus, ut dicuntur, huic morbo ortum præbet. Eum sæpe suscitavere vehementiora animi pathemata, præsertim ira: haud raro oritur ex aære nimis calido, necnon ex subita refrigeratione corporis prius calefacti: et frequenter in causa est cibus calidus nimis largâ copiâ ingestus, ut et potus exæstuans, crebraque ebrietas: denique si in corpore dispositio sit ad Erysipelatem vel ex plethora, ex affectione hæreditaria,† ex omissa vel impedita evacuatione aliqua solenni, vel ex eo quod antea insultum fecerat, causa satis levis invasioni hujus mali occasionem præbere possit.

Nullo non anni tempore invadit hicce morbus; observant autem plurimi,‡ quod exeunte æstate frequentius occurrit. Etsi sæpenumero satis subito corripiatur æger, eruptionem frequenter hor-

---

* Essay on Fevers, Contagion, &c. by John Colvan, M. D.
† Galen. Meth. Meden. lib. 14. cap. 14. charter. tom. x.
‡ Frederic. Hoffman, Opera omnia, tom. 2. p. 100.

ripilatio præcedit, sitis, calor, inquietudo, et symptomata alia quibus febris comitari solet. Interdum venit tumor glandulis loci, ubi inflammatio postea apparet; quod, ut credo, est Erysipelati fere peculiare. Progressâ aliquamdiu febre (sæpe satis validâ, sæpe non tam manifestâ,) inflammatio producitur in aliqua parte, unde augetur febris, quæ attamen paullulum plerumque eruptioni cedit. Pars affecta dolore urgetur acerrimo, splendet, tactui parum cedit, colorem induit ex rubro flavescentem, et licet rubor evanescat ubi digito urgetur, statim sublata pressione, eodem rursus imbuitur colore: pars etiam haud raro tumet; hicce autem tumor aliquando non ita notabilis est, etsi aliquando satis magnus, quod accidere videtur, quando inficitur etiam supposita cellulosa substantia: hæc Galeni opinio fuisse videtur, qui dicit, "Ὥσπερ οὖν ἡ προτέρα (φλεγμονή) συνεπιλαμβάνει τι καὶ τοῦ δέρματος, οὕτω καὶ ἥδε (ἐρυσίπελας) τῆς ὑποκειμένης αὐτῷ σαρκός."* Nulla corporis pars, ubi datur cutis, ab hoc malo im-

---

* Method. Meden. lib. 14. cap. 2. charter, tom. x.

munis est; nunc extremitates obsidet, nunc mammas dehonestat, ac varia omnino et incerta est ejus sedes; observant autem autores, quod faciem* præcipue occupat, eamque fœdam turpemque reddit, ubi paulo ante sedem fixisse Gratiæ videbantur; tota denique corporis superficies ejus furori exponitur: Nec tutiora, licet recondita, sunt ipsa viscera, sed ex practicorum† observatione hac infestantur lue, et cum maximo nostro damno sæpius contabescunt, priusquam prognosin satis certam, in hoc vel in ullo fere alio morbo, statuere possumus, plurima consideranda veniunt, quæ eam toto cœlo diversam reddere possint.‡ Pars morbo obsessa, inflammationis species, ægri ætas, habitus, sexus, crasis, tum et multa§ alia cognosci debent: et hæc om-

---

* Sydenham, lib. 2. charter, tom. x.
Van Swietan, loco jam citato.

† Hippoc. lib. 1. de Morb. sec. 2. et lib. 2. sec. 3.
Paul. Æginct. de Re Medica, lib. 3. cap. 8. et cap. 46. &c. &c. &c.

‡ Patet paritur in febribus talibus Erysipelatosis varium eventum imprimis pendere a partibus illis quas natum ex febre Erysipelas occupat.—Van Swietan, *Comment Aph.* § 593.

§ Neque ignorare oportet, quæ sit ægri natura: humidum

nia explorata habere prius oportet medicum, quam de morbi eventu sententiam suam profari audeat.

Si cerebrum ejusve membranas, vel unum ex visceribus magis nobilibus, affligat morbus (nam metastasis in Erysipelate occurrit sæpissime) necesse est ut plus periculi secum afferat, quam si extremos occupasset corporis artus. Maxima etiam differentia oriri potest ex conditione partis antequam morbi sævitium experta est; e. g. ait Hippocrates, "Ἢν γυναικὶ κυούσῃ ἐρυσίπελας ἐν τῇ ὑστέρῃ γένεται θανατῶδες."* Malum etiam pronunciat Erysipelas† ab ossis denudatione. Si ægri sit habitus scorbuticus, vel si impedietur mensium fluxus, vel supprimentur aliæ solennes evacuationes, tunc Erysipelas, majore vi sævit, difficiliorque devenit curatio.

---

magis, an magis siccum corpus sit ejus: validi nervi an infirmi: frequens adversa valetudo, an rara, eaque cum est vehemens esse soleat an levis; brevis an longa; quod is vitæ genus sit secutus; laboriosum an quietum; cum luxu an cum frugalitate. Ex his enim similibusque, sæpe curandi nova ratio ducenda est.—*Corn. Celsus de Med. Præf.*

* Aph. 43, s. 5. † Aph. 19. s. 7.

Sed ubi naturalis morbi malignitas augmentum non capit vel ex infausta tali dispositione, vel contagione, satis propitia mihi videtur prognosis. Caute tamen progrediendum, ac cavendum, ne infausta medendi methodo æger Orco tradetur, quem ipsa fortasse natura, sibi relicta, a morbi vi liberasset. Ut in vado sint omnia igitur hisce satisfaciendum indicationibus :

1mo. Impediatur, si possibile sit, ulterior morbi progressus.
2do. Lenientur symptomata urgentiora.
3tio. Expellatur e corpore materies peccans.
4to. Præcaveatur morbi reditus.

Ad priores duas indicationes absolvendas, nil efficacius videtur, quam inflammationis causam amovere, aut saltem ejus effectus minuere; in hunc finem extemplo sese offert venæsectio, quæ, si modo ejus usum pulsus admittat, spem raro fallit. Sydenhamus* suadet, quod si non sufficiat operatio prima, denuo repetatur, et etiam ad tertiam usque vicem, si intensior urget febris, interposito

---

* Loco citato.

die uno. Me non latet multos a sanguinis mis-sione abhorrere, in eruptionibus cutaneis, sed quando fractæ vires, aut pulsus debilis, aut alia equalis momenti contraindicatio non vetant, per Phlebotomiam liberatur pondere corpus inutili, ac liberius officio suo fungi potest natura. Nobis affirmat Freind,* nullum fuisse experimentum a se sæpius expertum, aut cum successu magis felici. Alvus eodem tempore laxa servenda, ec-coproticis† lenioribus, aut clysmatum usu. Mul-tos inter medicos in usum venit emetica adhibere, ut materias peccans a corpore expellatur, super-bibans æger largiter decocti Anthemidis nobilis, vel aquæ tepidæ.. Galenus recte observat, "Το μεν οῦν ἀκριβὲς ἐρυσιπελας αυτῶ τοῦ δὲρματος μονοῦ πά-θος ἐςὶν·"‡ quare ad tertiam indicationem bene respondendam, rationalis medendi methodus esse videtur, materiæ morbificæ expulsionem moliri, eodem modo quo ipsa natura eam eliminari cona-tur; secundum Hippocratis consilium, "Αδεῖ ἄγειν,

---

* Historia Medicin.

† Vide Mead, Monita Medica, sec. 6. de Erysipelate.

‡ Method. Meden. ad Glauc. lib. 2. cap. 1. charter. tom. x.

ὅκου αν μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, διὰ των ξυμφερόντων χορίων."* In hunc finem æger assiduo bibere debet potum tenuem, tepidum, aquosum, atque acidulum, per quem diaphoresis assidua, sed levis sustentari possit; quo pacto attenuabitur sanguis viscidus, et aptior redditur ad transeundum per vasa minima, et ejicientur inutiliores particulæ circulationi jam offensæ. Ægri corpus summa cura protegi debet ab externo frigore, et eodem tempore ita fugias ne præter casam: pars affecta speciatim justo majorem aut frigoris aut caloris gradum pati non oportet; quorum uterque modo quam diversissimo eosdem produceret effectus, augmentum scilicet inflammationis.

Si quod interna depascitur Erysipelas suspicari est, (heu! quod cognitu sit tam difficile,†) totis innitendum viribus, ut foras ducatur, atque ut prohibeatur ne ad interiora redeat; olim enim observavit Cous senex, "Ἐρυσίπελας, ἔξωθεν μὲν ἔισω τρέπεσθαι, οὐκ ἀγαθόν ἔσωθεν δε εξω ἀγαθόν."‡

---

* Aph. 21. s. 1.

† Nulla enim signa sunt, quæ hanc febrim Erysipelatosam distinguant.—VAN SWIETAN, *Comment. Aph.* § 593.

‡ Hippoc. Aph. 25. s. 6.

Cui proposito forsan inserviret totam eorporis superficiem balneo vaporis tepido laxam reddere, et peccantem materiam ad exteriora allieere diaphoresi leni et assidua. Si hoc effieere non possumus, de ægro conelamatum est; nam ab Erysipelate intro pulso internarum partium inflammatio, gangræna, et sphaeelus; asthma convulsivum, vertigo, affectus soporosus, deliria, phrenitis, et mala plurima alia pejora morte, quæ paucis diebus ægrum e mcdio tollit,* ni quod intus est diffusum fuerit ae foras transeat.

In his easibus purgantia plena et ita repetita, ut diarrhœam lentem, atque nauseam exeitant (ope Antimonii Tartarisati) vires pulsuum minuunt, ad intestina versus humores multo magis eopiosas derivant, eoque febrem allevant; vel Hydrargyrum cum opio in dosibus parvis, et sæpe repetis donec efficientur gingivæ, interdum progressum inflammationis impediunt, et resolutionem urgent. Impetus sanguinis, quæ in cerebro delirium, vel eomam; in pulmonibus dyspnœam exeitat: optime levatur per emplastrum vesieato-

---

* Hippoc. lib. 1. *de Morb.* sec. 2.

rium, erinibus rasis nuchæ, inter seapulas, summo capiti, vel sterno, vel abdomini impositum præcipue si dolor et symptomata inflammationis interna adsunt. Aliquando etiam Hirudines parti dolenti admoti, et balneum tepidum ad gradum 98° Ft. utilia sunt. Aqua hordeaeea, vel avenacea, vel ptisana, aeido imbuta, adhiberi debet pro potu; et haustus salinus effervescens omni tertia vel quarta hora repetitus, halitum cutis promovit, corpusque aliquantulum refrigerat. Animi quies etiam necessaria est. Nomen Erysipelas derivatus est ex ερυω, *traheo,* et πελας, *propinquus;* aliquando est morbus loealis cum febre symptomatiea, synocha Cullenii, aliquando morbus est systematis totius, cum febre idiopathica, et inflammatione superveniente, interdum apparet epidemicus, et sæpissime sequitur vulneras; sed ubi invenitur in nosoeomio vel ex aære inquinato, vel sordibus, proeuldubio causis non infrequenter oceurrentibus comitatur febris typhoides et maxime eontagiosa: interdum videtur oriri ex constitutione atmospheræ et sub forma epidemica. Fere semper est morbus cutaneus ubi apparet externe, et membranorum mucosorum si corripi-

tur pars interna, frequentissimum est inter fœminas, et impuberos, præcipue eos qui constitutione irritabile præditi sunt, occurrit sæpius in cœlis calidis quam inflammatio phlegmonodes. Nunquam terminat in suppurationem, nisi commistus est phlegmonode, sed ubi inflammatio est vehemens vesiculæ formantur.

Erysipelas ponitur in nosologiam Cullenii in classe Pyrexiarum et ordine Exanthematorum, sed non respondet ad Exanthemata quia, non semper incipit cum febre, neque *definito tempore* apparet phlogosis, neque semper est contagiosus, et potest afficere hominem sæpius quam semel in decursu vitæ.

Si externe apparet Erysipelas, aut si ulla arte ad externam corporis superficiem determinari potest, applicationes quædam topicæ ægro multum prosunt; sed summâ cantelâ opus est. Nil justius verbis Hoffmanni,* "Sed quantus abusus deprehendatur topicorum in Erysipelate capitis eloqui ex digno non possumus; est certe Erysi-

* Frederic. Hoffman, Opera Omnia, tom. 6. p. 326.

pelas affectus qui cautissimum externorum requirit applicationem."

Astringentium gens tota noxia mihi videtur, in plurimis casibus, nam per ea augetur vasorum actio in materiam jam nimis impactam, per quod pertinacior fit obstructio, violentior redditur inflammatio ; aut si per earum vim *retropellitur subito* materies peccans, a vero non absimile est, quod natura nimis onusta sese liberat, deposita materia in viscus quodam nobilius, sicque cito satis de ægro actum sit, in rursus ad exteriora vergat. Galenus conscius fuisse videtur periculi quod astringentium usum comitatur, nam etsi in Erysipelate refrigerationem laudaverat, addit statim, "Οὐ μὴν ἀκίνδυνος γε ἡ τοιαύτε θεραπεία παντὶ σώματι, διὰ τὸ φέρεσθαι την χολην ἐνίοτε προς τι τῶν ἐπικαίρων μορίων. "Οπϐ γε ϐδ' ὅταν ἀιμα ψύχηται πλεοναζον ακινδυνον εκ τῶν ακύρων μοριῶν ἀποθεῖσθαι το ῥεῦμα."* Et Hippocrates dicit, "Καὶ ερυσίπελας τὸ μὴ ελκουμενον (ὠφελεῖ) ἐπεί το γε ελκουμενον βλάπτει."†

* Method. Meden. lib. 14. cap. 3. charter, tom. x.
† Aph. 23. s. 5.

Medicamenta omnia relaxantia hoc malum sibi comitem habent, quod magnum humorum fluxum attrahunt in partem jam nimis distentam, et idcirco tantum abest ut prosint, quod augmentum afferunt morbo.

Applicationes oleosas ut poros occludunt exitumque negant perspirationi, multum nocere necesse est: exemplum narrat Hildanus* Erysipelatis oleo inuncti in gangrænam terminati. Ex auctoribus etiam constat† Erysipelatem ex oleosorum applicatione ortum duxisse, parum ab his igitur promovetur cura.

Nonnulli suadent micam panis lacte tepido maceratam affectæ parti applicare, quæ forsan non male cæderat, si nimis non relaxerat, et si ut cito acessit, eam sæpius renovare non opus sit, per quod frigori, aliisque incommodis exponitur æger.

Quidam parti amylum inspergere sat esse cre-

---

* Centur. 1. Observ. 82.

† Boerhaave, Prælect. Academ. par 765.
Van Swietan, Comment. Aph. § 718.

dunt, vel carbonatem calcis, vel pulverem Zinci carbonatis impuri, quod neque refrigerat neque plus justo calefacit, nec mutari tam frequenter requirit. Mihi videtur tutissimum, et in usu communi est.

Alii partem involvi jubent panniculis laneis prius madefactis in decocto quodam tepido attenuanti; quod componi potest ex spiritu mindereri, &c. &c.

Alii nil amplius necesse existimant, quam partem a frigore per laneos panniculos protegere, aliamque applicationem omnem supervacaneam censent.

Tali aliqua methodo forsan per resolutionem curari possit morbus, *cane etenim pejus et angue*, vitanda sunt omnia quæ suppurationem* promovent priusquam omnis evanuit spes resolutionis, et adhuc multo cautius arcenda est gangræna;

---

* Incidere hic non raro solet, ut ad suppurationem Erysipelas transeat; unde pessima plerumque diuturna item ac late serpentia nasci solent ulcera.—*Laur. Heister. Instit. Chirurg. tom.* 1. *de Erysip.*

monet Hippocrates, " Επὶ ερυσιπελατι σηπεδὼν, ἢ εκπύησις, (κακον.")*

Ubi suppuratio infortunatè accidit, oportet facere incisiones amplissimas, ut nuperrime commendatur per dominum Hutchinson, chirurgum eruditum nosocomii in Anglia. Ubi gangræna accedit cataplasma cerevisiæ, vel dauci caroti corrigere odorem ingratam, et separationem partium inanimatorum promovere utile est, et postea unguentum idoneum applicari licet.

Ægri cibo interea prospiciendum, qui talis esse oportet ut facile concoqui possit; e. g. Jusculum leve, Poma assata, biscoctum cum Thea, gelatina panis, Sago, Tapioca, Maranta Arundinacea, &c. &c. Potus commodissimus erit liquor aliquis tenuis tepidusque, ut solutio Bitartratis Potassæ cum saccharo, infusum limonis, oryzæ vel avenæ decoctum, aut Ptisana, cui addi possint Poma, cerasa, pruna, ad gratam conciliandam aciditatem: si violentior urget febris, pauxillum nitratis potassæ adjicere non nocebit.

---

* Aph. 20. s. 7.

De cæteris nonnaturalibus equalis habenda est ratio cavendum ne nimis evigilet æger, ac si febris dolorve impediat quo minus somno (beneficio hominibus gratissimo et amicissimo) fruatur, necessitas adesse queat opiata propinandi.

Ægri mentem non minus quam ejus corpus quietam servare oportet,* et a violentoribus omnibus pathematibus serenam. Si hac methodo feliciter ægrum sanitati restituere possumus, ad quartam respondendam indicationem necesse erit, per repetita lenia purgantia ejus corpus liberare ab omnibus pravis humoribus, partemque antea affectam speciatim, et universum in genere corpus, firmare, ne rursus invadat morbus, quod haud raro ex autorum testimoniis accidit : si ex causa aliqua nota ortum duxit morbus, præcavendus ejus causæ reditus, et ad solitam vitæ rationem paulatim et caute redeat, sanitati jam ferme

---

* In Ultonia Erysipelas et Herpes Zoster, curari vulgo dicitur frictioni annuli aurei super partem affectam, remedio superstitiosissimo et miraculis nuper peractis simili in eo, quod nullam habet effectum præter solatium animi et alia levamina quæ ex fide et constantiæ ægrorum oriri solent.

restitutus æger. Institutum aquarum mineralium usum sub congruo regimine multum laudat Hoffmannus* ad corpus ab hujus mali reditu vindicandum. Aer purus, dieta levis et nutriens, alvus soluta, vinum, cinchona, vel sulphas quininæ, et opiata, maxime conveniunt; præcipue in nosocomiis, ubi grassari contagio videtur.—Vale.

---

* Opera Omnia tom. 2. p. 102.

FINIS.